



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sublimium rerum indagator.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

PRUDENTIA. CAP. XXIX.

SI autem volentem Gruem cum lapillo pinxissent, hieroglyphicum id prudentiam significare dicebatur. Ex probatissimis enim autoribus didicimus Grues, dum in sublime volant, lapillum ideo gestare, ut lapsu illius explorent, supra terramne an mare volitent, quod intelligunt ex sono, ac proinde confidendumne, an ulterius procedendum sit. Maximus Tyrius causam aliam memorat lapilli assumendi. Nam quoniam in volatu fluere videntur instar navis, quam agitent impellantque undæ, suæ sibi consciæ imbecilitatis, antequam volatui se credant, lapillum rostro suscipere, quo unaquæque earum, veluti firmamento vacillaturi volatus utatur, eamque habeat salutis suæ custodiam. Atque hoc est quod



Hæc à Plinio, ubi superius.

Sed et apud Plinium d. c. 27. lib. 10. Nam Grues Græcè λέγεται.

apud Solinum legas, Grues harenam devorare, sublatisque lapillis ad moderatam gravitatem fabricari. Quarum prudentiam cum Deucalion non ignoraret, eum à diluvii clade servatum ait Gruum beneficio: hunc enim Pausaniam ait ad supervolantium Gruum clangorem enataste, atque ideo montem, in quem demum evasisset, Geranium, in harum alituum honorem, appellasse.

SUBLIMIUM RERUM INDAGATOR. CAP. XXX.

Prudentia Gruum maxima.

Quod si abque lapillo volentem Gruem figurassent, hominem sublimium indagatorem, & eorum quæ terra procul, & à materia remota sunt studiosum significari volebant. Ipsa enim præpes altissime volat, ut longè lateque speculetur. Quod si subsidere nubes infra despexerit, nunquam ad terram se demittit, usque adeo tempestates, & ventorum procellarumque motus summo studio declinat: utpote quæ sit quietis amantissima. Si verò acciderit ut in tempestate aliqua depressa sit, confestim ad terram se confert, atque humi potius quiescit. Quod si quam in alitem Plotinus hominem transmutari dixerit, qui absque sapientia sublimia tractaverit improbius, cum nullam illi speciem ponat sublimis huius volatus, nempe Gruem ipsam, ex Plotini sententia commode pinxerimus.

PERSEVERANTISSIMI MÔRES. CAP. XXXI.

Pulcherrimum & illud est, quod alii excogitarunt, hominem qui cum atate mors minime commutaverit, sed eodem semper ingenio perseveraverit, per Gruis pennas indicare. Reliquarum enim avium pennæ per atates fere omnes mutantur, nigrescereque in senectâ perspiciuntur, sed Gruum eodem semper colore perseverant.

ORDINIS OBSERVATOR. CAP. XXXII.

Quinetiam in moribus eadem propositi constantia consideratur, cum Grues in volatu ordinem pertinacissime servant. Quare Palamedes apud Philostratum, Vlyssi objicienti literas non ab eo sed à Gruibus inventas, respondet is Grues quidem, quod ad literas attinet, nihil adinventum, verum ad ordinem quem nunquam Vlyses servare didicisset, earum curam referri. Vlysem enim ajunt, quotiens in bello aut Hæctori, aut Sarpedoni, aut Aneæ obviam fieret, ordinem deserere solitum, & ad imbecilliora declinasse.

LABORIS TOLERANTIA. CAP. XXXIII.

Indefatigatum vero laboribus hominem significantes, alas vel pedes Gruum in manibus ejus stabuebant: ferunt siquidem non lassescere ullo labore, qui nervos ex alis aut cruribus Gruis habeat.

FERACITAS. CAP. XXXIV.

IN ostentis, Grus biceps feracitatis indicium est. Appion enim tradit, Oenæo in Menide rerum domina bicipitem Gruem apparuisse, uberrimamque eò anno annonam in Ægypto fuisse. Ad hæc,